



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Sub quibus conditionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& in communicatione sacramentorum omnibus fidelibus communis; verum etiam in eo, quod quilibet iustus possit applicare sua opera, & de facto applicet, quando ei libet, in satisfactionem poenarum quas alij debent pro suis culpis, & item, ut possit per sua bona opera impetrare, & de congruo obtinere pro aliis aliquid donum supernaturale, vel naturale, nimirum auxilium gratiae, conversionem à malo statu, sanctitatem, bona temporalia, &c.

2. Quoniam autem hæc communicatio est omnibus fidelibus communis, quid supra hanc concedit hic Bulla Cruciatæ? Nihil, Respondet Lud. à Cruc. d. 1. c. 8. d. 14. n. 11. & Trull. l. 1. in bull. §. 5. n. 9. sed eandem communicationem novo titulo acquirendam.

3. Verum probabilius esse debet, aliquid aliud concedi, quandoquidem adeo signate eam concedere, Pontifex proficitur, & ut ex contextu patet, tanquam novum Privilegium.

Sed quoniam id aliquid est?

Respondeo, si prius memineris opera cuiuscunque iusti esse meritoria, impetratoria, & satisfactoria. Et quidem per opera, ut meritoria, quæ vocantur à Theologis meritoria de condigno, solum iustus facit sibi operanti: At per opera impetratoria, quæ vocantur à Theologis merita de congruo possunt fideles impetrare, & mereri de congruo, tum pro se, tum pro aliis, hoc est mereri ex liberalitate convenienti Deo aliquo beneficium sibi, vel alteri.

4. His in memoriam revocatis, sic aliqui discunt, quod ad satisfactionem, Petrus v. g. iustus jejunit v. g. per diem, sanè satisfacit pro aliqua parte poenæ, quam fortasse adhuc debebat pro suis culpis, vel, si illud jejunium applicet pro aliis, v. g. pro Paulo, valebit satisfactio talis jejuniij pro poenis debitis à Paulo. At vero si Petrus inveniat, sive per alia similia opera, sive per acquisitam indulgentiam plenariam, nihil omnino debere pro suis culpis, & ex alia parte pro alio ipse non applicet, vel si applicet pro alio, hic alius sit incapax, puta, quia existit in mortali, vel est in gloria, vel est in Gehenna, tunc illa satisfactio quantitas Petro superabundans ex prædicto jejunio, quæ ipsi non est necessaria, quæque soli Deo cognita est, reservatur in Thesaurò Ecclesiæ, cuius solus Pontifex est distributor. Idem ergo Pontifex per hoc privilegium communicationis, de qua loquimur, concedit hoc beneficium, ut illa satisfactio superabundans, antequam reponatur apud Ecclesiæ Thesaurum, participetur (secundum taxam, quæ à solo Deo est præscripta, & nota) ab eo, qui bullam habens jejunit cum circumstantiis explicatis.

Satisfactio autem dicta, quæ participabitur, erit illa, quæ superabundat in eo puncto quo habens bullam modo dicto jejunit, vel fortasse etiam (ut tenet Gallegus claus. 7. d. 66.) erunt illæ satisfactioes omnes, quæ erunt postea faciendæ, & non applicandæ durante anno ejusdem bullæ, quod certe, ut idem notat *ibid.* d. 59. est magnum beneficium. Simile quid dici posset de impetrationis fructu, quod videre poteris apud Gal. l. c. & melius apud Cast. de bull. d. vnc. 1. n. 5.

Hæc explicatio, quam affert Bardi de Bulla part. 2. tract. 4. cap. 2. sect. 1. num. 7. solum illud habet boni, quod alia melior non occurrit, nam cæterum gratis videtur confecta. Ego autem potius dicerem, dari quidem eiusmodi communicationem per bullam, quandoquidem sic expresse conceditur à Pontifice, sed quænam sit, ignoratur, donec Deus dignetur per aliquem, qui ipsi placuerit, declarare.

§. III. Sub quibus conditionibus prædicta conceduntur.

1. Primo, sub Jeiunio, vel te non valente ieiunare, sub opere tibi commutato à Confessario, vel Parocho. Secundo, sub oratione fundenda pro unione Principum Christianorum contra Infideles & pro victoria

Part. III.

contra eosdem. Non posse autem hæc opera fieri per alium ad hunc effectum, videtur manifestum, nam ex modo loquendi Pontificis imponuntur et Personalia.

2. Jam vero quoad Jeiunium illud debet esse voluntarium, unde non valet ad hunc effectum Jeiunium ex poenitentia tibi à Confessario imposita, nec Jeiunium ex Præcepto Ecclesiæ. Scio Ludovicum à Cruce sustinere Jeiunium Quadragesimæ sufficere, idque ex præsumpta voluntate Pontificis, qui non est censendus toto illo Quadragesimæ longo tempore, velle fideles pascere his indulgentiis; scio inquam, hoc, sed assentire non possum, quia ubi verba disponentis sunt clara, non est locus præsumptioni; at, quid clarius, quam illud, (*diebus Jeiunio non suppositis.*)

3. Maior difficultas est, an satis sit ieiunium ex Voto, Bardi p. 2. tr. 4. cap. 3. sect. 1. n. 3. cum alijs putat, non sufficere, Gallegus autem, l. c. sufficere, quia Pontifex excludit ieiunium, præcepto non suppositum; & vult ut sit voluntarium, at ieiunium ex Voto non est ieiunium ex præcepto, & est maxime voluntarium, atque ex devotione votantis, Non mihi displicet hic discursus.

4. Præterea commutans prædictum ieiunium iis, qui sunt impediti, non potest esse alius nisi vel Confessarius, explicatus supra c. 8. §. 1. n. 3. vel Parochus; & quia dicit Pontifex (eorum arbitrio) arbitrium autem in iure semper debet esse rationale, ideo commutatio debebit fieri prudenter iuxta aliquam proportionem ad ieiunium spectata qualitate Personæ.

5. Prædictus Galleg. l. c. dub. 65. sustinet, ieiunium hoc non posse commutari ad hunc effectum in orationem, sed debere commutari in aliud opus bonum pium distinctum ab oratione, atque erravisse Rodriguez cum dixit posse in Orationem, quia inquit Gallegus, Pontifex vult duo opera, & non solum Orationem. Certe ego puto, id tutius saltem esse, sed non video, unde ita opera duo distincta exigit Pontifex, ut non possit ieiunium per replicatam Orationem compensari.

6. Illud denique hic concedo, quod concedit Cast. l. c. p. 5. n. 2. nam si quis ex aliqua causa infirmitatis, laboris, vel ætatis à præcepto excusetur, poterit ieiunare ad hunc effectum valide; quia iam illi eiusmodi ieiunium est voluntarium, & supererogationis.

7. Secundo, quoad Orationem fundendam, nihil esset explicandum cum in tenore Bullæ, quæ ad hanc pertinent sint clara, nisi Rodr. in Add. bul. §. 7. cum Cast. l. c. n. 3. scrupulum quemdam induxisset. Dixit enim, hanc Orationem debere esse externam seu vocalem, nec sufficere solum mentalem; quia Pontifex (inquit Rodriguez, quando præcipit opera satisfactoria; requirit externa, & visibilia. Verum puto, satis superque esse mentalem, quia quando Pontifex vult vocalem Orationem illam explicat iniungendo Rosarium v. g. Septem Psalmos, Litanias, &c. Quod autem assumit Rodr. gratis assumit, nos enim dicimus, quamvis Oratio vocalis sit magis proportionata visibili Ecclesiæ, non tamen semper eam esse necessariam, cum Pontifex possit concedere indulgentiam se conterenti v. g. & sæpe solet eam concedere dicenti, Jesus, in corde, si ore non potest. Lege Suar. 14. in 3. p. d. 5. 2. sect. 5. n. 5.

8. Scito denique hic duo. Primo, ad lucrandam hanc indulgentiam, satis esse illam elemosynam, quæ datur in acceptione bullæ quia aliam non requirit. Clausula hæc, ut notat Gall. claus. 7. d. 60.

Secundo, satis esse non valde longas preces, sed id distinctius dicam mox c. 10. §. 2. n. 4.

CLAUSULA X.

Item, qui, dicto anno durante, in singulis diebus Stationum alme Urbis, quinque Ecclesias, seu Altaria, seu in illorum defectu, quinque unum altare devote visitaverint, precesque ad Deum pro Unione, & Victoria prædictis fecerint omnes, & singulas indulgentias Stationum intra, & extra

Q9 2 mayos